

Hermann Lembke


Programma Quo Hermannus Lembke/ I.U.D. Ad Exequias, quae ... Dn. Jacobo Sebastiano Laurembergio, I.U.D. ... Omnes omnium Ordinum Cives Academicos officiose & peramanter invitat : [P.P. sub Sigillo Facultatis. Die 8. Ianuar: Anno 1669.]

Rostochi[i]: Kilius, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756284279>


Druck Freier  Zugang





Uiac
orum
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>



PROGRAMMA

Quo

HERMANNUS

Gembke/

J. U. D. P. P. Facult. Jurid. Sen. ejusdemq;
p. t. DECANUS,

Totius Nobilissimi ICTORUM Ordinis nomine,
Ad Exequias,

quæ
VIRO Nobilissimo, Amplissimo
& Consultissimo

DN. JACOBO
SEBASTIANO LAU-
REMBERGIO,

J. U. D. & Pandectar. Prof. Celeberrimo,
nec non Consistorii Ducalis Assessori

gravissimo,
Hodie hora I. pomerid. in templo Jacobæo parabuntur,

Omnes omnium Ordinum Cives Academicos officiosè
& peramanter invitat.

ROSTOCKI, Typis Johannis Kilii, Acad. Typogr.

109



Quis non mœrore luctu & lacry-
mis diffueret, cum vel in ipso limine hujus anni,
tam ferale ac luctuosum scribendi genus Nobis im-
ponatur? Novi anni exordia veteribus adeo sacra
& religiosa esse solebant, ut non nisi bona tan-
tum dicerent verba, dira, tristia, funesta & quid-
quid mali ominis speciem præ se ferre poterat, ne nominarent
quidem. Et ut eò feliciter de anno cœpto ominarentur, Alii
ad vota & preces se conferebant faustissimum sibi promitten-
tes annum, si Supremum Numen per preces sibi propitiassent.
Alii specimen aliquod artis, quam profitebantur, edebant, ge-
minam per universum anni tractum sibi somniantes solertiam &
industriam. Alii Strenis, quas Rex Tadius introduxisse creditur, qui
verbenas felicitatis arboris ex Strenia luco novi anni auspices accepit,
se invicem exceperunt. Omnes eò collimantes, ut quævis
bona & fausta ex novi anni auspiciis augurarentur; Ex introitu
enim de progressu conjecturam facere satagebant. Sed quid
de præsentis ominandum anno? cujus vel ipsa incunabula ad su-
spira, imò ad planctum nos invitant. E mortalium societate,
heu! exemptus est insignis Musarum & Juris Antistes, Nobilissimus
& Consultissimus DN. JACOBUS SEBASTIANUS LAUREMBERGIUS, J. U. D. Pandectar. Prof. & Consist. Provincialis
Assessor, suo & Parentis nomine satis clarus, Amicus &
Collega noster olim suavissimus, nunc verò desideratissimus,
Cui rideret Annus, qui immaturam tanti Viri morte tot vulnerat
pectora, tot lacerat animos? Quis non atro carbone illam
notaret lucem, quæ tantum decus & Patriæ & Academiæ invidit?
Quis non vel Fastis eximendum illum judicaret diem,
quo Academia tanti Viri fecit jacturam, quo Liberi acerbè deplorant
Patrem carissimum, Vidua exquisitè lugeat Maritum fidelissimum,
Mater superstes miserè plangit Filium exoptatissimum,
Studiosa Juventus anxie dolet Antecessorem Juris solertissimum,

tissimum, Amplissima nostra Facultas Juridica Collegam con-
queritur dulcissimum, & tota Musarum Cohors Professore
deflet consummatissimum. Et profectò excors foret & quovis
filice durior, qui tanto non indolesceret funeri, & si non illacry-
mando, saltem ingemiscendo suam erga defunctum contesta-
retur *ἔυνοια*. Sed quid quiritamur? quid profunda ducimus
suspiria? non ignari, Mortem esse inexorabilem, Fatum inelu-
ctabile: Nulla hic *περσωπληψία*. Nam ut Venusinus canit:

Pallida Mors æquo pede pulsat pauperum tabernas
Regumq; Turres.

Nec enim canities veneranda, nec Animus intrepidus, nec ga-
za fulgurans, nec basilica imperialis, nec genæ purpurascens,
nec tersa facundia, nec eruditionis jubar & Majestas, Mortis
spicula & ictus declinare sciunt. Satiùs forsàn esset Defun-
cto applaudere, quam ei condolere. Nam profectò grave fu-
isset supplicium, si eâ lege in hæc venisset oras, ut planè non
fuisset caducus. Quid enim est, quod in hac extremâ mundi
titubantis senectâ quempiam ad diutius vivendum posset alli-
cere? an labores assidui? an diurnæ, nocturnæq; sollicitudines?
an quotidiani angores? an Fortunæ ludibria? an varii casus &
incommoda, quorum omnium vita nostra est refertissima?
Verè melior est dies mortis, quàm natalis. Cæterùm ne me-
moriam piè defuncti penitus obsolescat, cùm mereatur perenni-
tatem ipso ære firmiorem, officii nōstri ratio jubet, beatis Ma-
nibus iusta persolvere vitæq; historiã si non verbis phaleratis,
saltem proletariis pertexere, rudiq; adumbrare minervâ in Lu-
cem itaq; editum, & in cunis vagientem excepit Hamburgum,
splendidum cæteroqui Emporium, anno 1619. d. 24. No-
vembris. horâ 12. nocturnâ. Patrem habuit Virum Nobilissi-
mum & Experientissimum DN. PETRUM LAUREMBERGI-
UM, Philosophiæ & Medicinæ Doctorem famigeratissimum &
Pœseos dum viveret Professore undiq; satis celebrem. Ma-
trem

trem omni virtutum sui sexus genere decoratissimam, MARGARETAM CARMONS, viduam hodiè mœstissimam & discessum filii acerbè lugentem. Avus paternus ipsi fuit Nobilissimus itidem & Amplissimus DN. WILHELMUS LAUREMBERGIUS, Philos: & Medic: Doctor, Professor superiorum Mathematicarum Ducalis. Avia paterna fuit Fœmina omnigenâ virtutis laude cumulativissima, verèq; nobilis JOANNA, è Nobili LONGOLIORUM, Ultrajecto Batavorum profapiâ creta. Avus maternus Vir Spectatissimus, Vitæ integer, scelerisq; purus DN. JACOBUS CARMON, holosericorum institor, & Civis primarius, ex antiquo CARMONIORUM genere oriundus. Avia materna Clarissima & Eximia MARGARETA, è Nobili SIBETHORUM, in Magnâ Britannia Stirpe, suam ducens originem. Hisce satus Majoribus, gloriam quam à stemmate contraxit, longè reddidit illustriorem; Infra enim verè nobilitatis gloriam putavit, solo superbire Majorum sanguine, cum non nisi sola & illibata nobilitet virtus, multoties improbo parta labore. Est quidem laus aliqua, fuisse Æneâ Julum, Priami Hectorem, jovis Herculem, sed laus est non propria, verùm ab aliis mutuata. Noster denatus propter singulares animi dotes, quibus semper præ aliis eminebat, sufficiens fuisset, vel à semetipso Genus incipere, illudq; nobilitate decorare. Postquam enim in arctissimum Dei Fœdus per saluberrimum Baptismi fontem esset cooptatus, & (quamprimum per ætatem liceret) Scholis admorus, in tenerrimâ statim pubertate non temnenda solertis ingenii ac tenacis memoriæ prodidit specimina. Tantos enim brevi tempore in Linguâ Romanâ fecit progressus, ut Anno ætatis XII. erat Annus à nato Salvatore M. DC. XXXXI. d. 7. Januar. pro Concione DNN. Professorum, aliorumq; literatorum Orationem in Auditorio nostro majori tanto cum lepore, verborum morumq; concinnitate haberet, ut non immerito omne tulerit punctum. Eam quoq;
in

in hoc studio sibi paravit promptitudinem, ut vel ad nutum
Parentis p. m. de quovis argumento proposito, in instanti et-
iam cum magnorum Virorum applausu latinè dissertaret. Fun-
damento itaq; in Humaniori Literaturâ probè jactò, Jurispru-
dentiam velut singulari Naturæ Oestro percitus, amplexus est
eandemq; ita excoluit, ut non sine fructu An. M. DC. XXXIX.
Ætatis XVIII. ad Musarum Sacrarium, Academiam Grypticam
ablegaretur, ubi sub magni Nominis Jctis DN. D. STEPHANI,
& DN. D. MEVIO, sedulam juri impendit operam, Disputatio-
nem quoq; proprio Marte conscriptam, adeò bellè defendit,
ut omnium mereretur calculum. Anno M. DC. XXXIX, quo
ipsum Parens lecto affixus esse cœpit, quo etiam animam exha-
lavit, ad revisendos patrios Lares iterum vocatus est. Noluit
tamen in arvis patriis consensescere, proinde Anno subsequenti
M. DC. XL. novum adornavit iter, seq; ad Academiam rece-
pit Juliam, ubi ex prælectionibus DN. HAHNEN, J. U. D. &
DN. M. SCHEURLII, Eloquenriæ Prof. Virorum ad invidiam
usq; celebrium, egregium in jure sensit emolumentum. Et
quia de meliori luto Apollo ipsi fixerat præcordia, undiq; cœ-
pit inclarescere, adeo ut etiam à DN. SIMONE HENNINGIO,
Ecclesiaste Germano Hafniam vocaretur, quò cum appulisset,
Vir Spectatissimus JOHANNES ULRICUS, informationi Filii
sui, hodiè apud Londinenses in Sconiâ Theolog: Doctoris &
Profess: Regii primarii, eum præfecit. Quia verò Cœlo aspe-
riori minus fuit suetus, per unicum saltem ibi commoratus est
annum. Corpore ergò non satis firmo, (cui tamen in tempo-
re obviam itum est,) Patriam reperens, Collegia pandere cœpit
juridica etiam cum Auditorum admiratione & stupore, donec
Anno M. DC. XLVI. d. XXIV. Martii pro impetrandis insigni-
bus Doctoralibus, sub præsidio Amplissimi & Consultissimi Vi-
ri DN. NICOLAI Schüngen/ J. U. D. & P. P. Disputationem si-
steret inauguralem publicitus ventilandam. Neq; postea ab
exerci-

exercitio Disputatorio & Oratorio feriat us est, nudè sibi in Li-
centiâ summos in utroq; Jure capessendi honores blandiens,
quin potius memoratissimum illud: PLUS ULTRA sedulò
meditatus est. Nec prætereunda est tenacissima & penè divi-
na, quâ non minus ac Parens polluit memoria, semper enim
sine ope schedulæ, felici & inoffenso pede, sua è Cathedrâ fecit
verba. Quo etiam nomine tantam sibi in Aulâ Suerinensi
conciliavit gratiam, ut Professio Historiarum à Serenissimâ
Celsitudine ipsi offerretur, quâ humillimè suscipiendo id uni-
cè flagitavit, ut adhuc peregrè eundi sibi concederetur copia,
nec in eo difficilem habuit Serenissimam suam Celsitudinem.
Professor itaq; designatus in Bataviam trajecit, ubi non solum
cum Viris Clarissimis singularis ei intercessit necessitudo, sed
etiam à quibusdam Juvenibus Nobili Stemmate claris, in vitæ
studiorumq; Moderatorem sive Ephorum adleitus est, quibus
etiam postea comitatus præcipuas urbes & Academias Iustra-
vit, nec in salutatum præterire voluit Osnaburgam, maximè
cùm eo tempore præcipuorum Magnatum Legati-Pacificatum
illuc confluxissent. Tandem Anno M. DC. XLIX. in Patriam
redux dignitatem DOCTORALEM Diribitore Amplissimo &
Consultissimo DN. HEINRICO SCHUCKMANNO, J. U. D.
Codicis Professore & Consist. Duc. Assessore celeberrimo ad-
eptus est, suamq; functionem scilicet Historiarum, jam olim sibi
commissam feliciter auspicatus est. Anno M. DC. LII. suâsu &
consensu suorum, vitæ Connubialis sociam elegit Virginem,
longè florentissimam ELISABETHAM Spengmanns / Spe-
ctatissimi juxta ac integerrimi SIMONIS Spengmanns/
apud Stralsundenses Senatoris gravissimi filiam, eamq; sibi so-
lennibus nuptiis dicto loco jugavit. Et ne de mutuâ concor-
diâ, rarâ aliàs in his terris ave, quispiam cespitate habeat, ani-
mi jam laudati adeo suavissimè coaluerunt, ut amor recipro-
cus *septem* radicatus & obsignatus fuerit pignoribus, quorum
quatuor


quatuor potioris, tria vero sequioris fuerunt sexus. Et licet hic numerus my-
steriorum alias plenus, magnam sapere videatur perfectionem, eam tamen,
quam præ se fert, non contulit. Duo enim filii non degeneres JACOBUS
SEBASTIANUS, & VVILHELMUS HEINRICUS, ut & SOPHIA MA-
RIA, in tenerissima ætate Lucis usurâ orbatî sunt. Quatuor vero SIMON
PETRUS, JACOBUS SEBASTIANUS, ANNA MARGARETA, & JO-
HANNA ELISABETA, superstites sub mole gravissima ingemiscunt, Anno
M. DC. LIX. Serenissimæ ut Dux ac Princeps DOMINUS CHRISTIANUS
LOVIS, Cancellarius Academiæ hujus Magnificentissimus, Dominus noster
clementissimus, eminentiorem Spartam ei demandavit, eumq; Professore[m]
Pandectarum, & Ducalis Consistorii Assessorem constituit, cui functioni usq;
ad mortem, quantum per Cachexiam corporis liceret, pro virili vacavit, & u-
nius cujusq; expectationi examusim satisfecit. Et licet ab eo tempore, quo
ex Daniâ in Patriam remeavit, intolerabili divexaretur Cephalalgia, memoria
tamen ipsius adeo fida mansit, ut, cum Serenissimo Duci ac Principi DN. A-
DOLPHO FRIDERICO, gloriosissimæ memoriæ, ultimum pro rostris pa-
rentando diceret sermonem, orationem satis prolixam, & pluribus quaternio-
nibus designatam, sine ulla titubatione ex fœcundâ funderet memoriâ, idemq;
non semel postea pari cum successu tentavit. Vitam suam ita transegit, ut non
nisi Momus inveniat, quod in eâ possit reprehendere. Candorem aluit infu-
catum. Pacem & tranquillitatem sectatus est, nihilq; sibi habuit anti-
quiis, quàm ut prodesset omnibus, noceret nemini. Et licet ab omnibus næ-
vis immunis non fuerit, lubens tamen eos agnovit, nihil humanum à se alie-
num putans, humillimeq; deprecatus est. Et quod palmarium est, Oracula
sacra non solum, sibi habuit commendatissima, sed & omnes intendit nervos,
ut iisdem quoq; imbueret liberos. Morbum & Mortem quod attinet,
μακαρίτης noster infirmissimæ fuit valetudinis, passionibus hypochondriacis
maximè obnoxius, imprimis ante quadriennium perpetuâ laborare cœpit Ce-
phalalgia, cujus gratiâ non solum, domesticos sed & externos consuluit Medi-
cos, irritò tamen semper conata. Accessit ante semestre spatium languor in-
solitus, omnes artus ita occupans ut extremum exitium ei minitari videretur.
Die XXI. Octobr. Anni jam jam elapsi, Febri Hæcticâ obrutus est, quæ eum
non solum enervavit, sed & plane effecit Clinicum; unde cum adverteret om-
nia ad extrema deproperare, ad illum unice confugere placuit, à quo omne
nostrum dimanat auxilium, quo sine publicas quoque in Ecclesia sollicitavit
preces, Et ut nihil intermitteret eorum, quæ ad animæ salutem facere viden-

tur, Virum ad se accersivit pl. Rever. & Excell. DN. JOHANNEM QVISTOR,
 PIUM, S.S. Theol. D. & Past. ad D. Jacob. vigilantissimum, Collegam & Ami-
 cum nostrum venerandum, à quo epulo Sacræ Cœnæ pastus languidam refecit
 animam, & contra insultus communis humani generis Antagonistæ se pro-
 bè munivit. Febrî Hecticæ se associavit Phtisis indefinenci stipata tussi, pro
 quâ debellandâ Viri Experimentissimi DN. D. BAGMEISTERUS, & DN. D.
 VVURDIGIUS, Medic. P.P. PP. Collegæ conjunctissimi, omnem quidem
 moverunt lapidem, sed cum Coryco lætati sunt, cum quavis enim nova luce,
 nova quoque emerlerunt Symptomata, ut tandem noster denatus non nisi di-
 missionem ex hoc sollicitaret vitæ ergastulo. Posthabitis ergo omibus
 pharmacis, his & similibus ardentissimis Deum flagitavit precibus: Cupio
 dissolvi & esse cum Christo. Die XXIX. Decembr. Hora I. matutinâ, ultimum
 vale suis dicturus, Matrem, Sororem, ejusq; Maritum ad se vocari curavit, qui-
 bus partim animæ suæ sollicitudines & angores acerbos, partim ardentissimum
 desiderium quo adventû Salvatoris JESU jam in procinctu stantis exspecta-
 ret, exposuit. Et cum ex Clariss. DN. M. HILDEBRANDI, intonantis ore
 Canticum illud efficacissimi solatii plenum: *Herr Jesu Christ wahr
 Mensch und Gott* excepisset, mox in hæc erupit verba: *Nun gebet acht auff
 mich/ mein Jesus wird bald kommen/ & cum Cordis palpitatione adhuc ipsi
 quandam facesseret molestiam, denuo ingemuit: Ey Herr Jesu/ bleib doch
 nicht so lange/ deiner warte ich mit Verlangen.* Quod suspirium clementis-
 simus tandem exaudivit Deus, cumq; inter tuorum preces ad novissimum usq;
 Spiritum satis belle sibi constantem ex hac subduxit miseriarum valle Anno
 M. DC. LXVIII. d. 29. Decembr. Horâ matutina s. cum complevisset Annos
 XLIX. Hebdomadâs 4. quatuorq; dies. Quod superest, cum reliquæ hodiè
 Hora I. Solenni more sint componendæ, Veltrum erit Cives Academici, fre-
 quentes confluere ad tumulum, ut soliti estis confluere ad cathedram dicen-
 tis. Sic declarabitis partim quo animo sitis erga defunctum, partim quàm ob-
 servantes erga superstitem Familiam esse annitami. Benè etiam de Denato,
 benè de Familia, benè de Academiâ, benè de Facultate nostra, benè de
 ipla honestate, quæ hoc officii genus à vobis exigit,
 merebimini.


P. P. sub Sigillo Facultatis.

Die 8. Januar: Anno 1669.









the scale towards document

Image Engineering - Scan Reference Chart TE263 - Serial No. 09A
Patch Reference numbers on UTT

ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-
 eminentis vim , non secus ac Demosthenici
 petum imperij Proceres sæpè sensere. De
 non tantum privati, sed & publici partibus,
 inis forma, de religionis purioris vindicijs,
 libus rectè instituendis, litium prolixis telis
 ad publicam salutem conservandam necessa-
 ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-
 lut alter Sulpitius, studio, usu, experiètiâ, &
 sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ
 planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij
 storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû
 t. Accedebat naturalis cum decenti venustate
 ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-
 s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-
 peris continentia, in fortunæ instabilitate
 quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes
 umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus
 repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis
 & occupatissimus fuerit, semper tamen
 in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita
 as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.
 oz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-
 bente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici
 us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum
 siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &
 iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-
 quibus tamen cum sensu nimis irretiri & aulæ astringi
 caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,
 demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-
 n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus
 mavit, seq; invictum reddidit: ast à morbis corporis se-
 otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debilior:
 um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus
 ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò
 sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post
 ruans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,
 Accesserunt lienis & mesaræi obstructiones, & quart-
 poles scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-
 ascens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-
 monum